



PIUS IX

FRAN  
CISCVS  
*Episcopus*  
Servus Servorum Dei  
ad perpetuam rei memoriam.

¶ Animas vestras iustificantes  
in obediencia veritatis ad frater-  
nitatis amorem non fictum, ex cor-  
de invicem diligite attentius, renun-  
ti non ex semine corruptibili, sed  
incorruptibili per verbum Dei vi-  
vum et permanens ~ 1 Pe 1, 22 -  
23 ~ Summa fidelitate ac benigni-  
tate iter a beato Petro apostolo  
demonstratum beatus Cypriacus

Elias a Sancta Familia Chavaratransiit, qui sub lumen divinae revelationis iugiter incessit, panem Evangelii omnibus disperiens ac caritatis Christi erga pauperes iuvenesque et puellas Indiae perhibens testimonium, quos amare Deum, inservire Ecclesiae ac mundo Evangelium nuntiare opere verboque docuit.

Die X mensis Februarii anno MDCC-CV in urbe vulgo Kainakary intra fines Keralae in India e piis parentibus Cyriaco et Maria natus est et in sequenti die XVIII in Ecclesia paroeciali loci vulgo Chennamkary, Cyriaci sumpto nomine, ad baptismalem fontem regeneratus. Paucis mensibus intermissionis, mater eum in sanctuario Deiparae in urbe vulgo Vechoor Beatae Mariae Virgini vovit. Inde ab infantia pietate et devotione erga Sanctam Familiam informatus crevit, parentum vitam consectans

exemplarem. Aliquibus post annis insti-  
tutionis apud nativam paroeciam recep-  
tae Seminarium Pallipuramense ingres-  
sus est et die XXIX mensis Novembris an-  
no MDCCCXXIX presbyteratu actus. Die  
XI mensis Maii anno MDCCCXXXI una  
cum Reverendis Patribus Thoma Pala-  
chal et Thoma Porukara in urbe vulgo  
Mannanam domui aedificandae illi  
initium dedit, quae posteā primitias reli-  
giosi pro christifidelibus Ecclesiae in In-  
dia Instituti hospitio excepit, hodie Con-  
gregationis Fratrum Carmelitarum Bea-  
tae Mariae Virginis Immaculatae no-  
mine nuncupati. Die VIII mensis Decem-  
bris anno MDCCCLV, in sollemnitate Im-  
maculatae Conceptionis Beatae Mariae  
Virginis, Reverendus Pater Chavaravo-  
ta religiosa sollemnia professus est, Cyria-  
ci Eliae a Sancta Familia sumens nomen,  
et primi novae communitatis Superioris

munus accepit, quo adusque diem supremum functus est. Per operam Congregationis suae multum ad spiritualem et socialem renovationem Ecclesiae in Keralā attulit: Seminaria enim exstruxit et domus pro recessibus spiritualibus perficiendis, librariam editricem pro doctrina catholica et civili informatione diffundenda fundavit, derelictis moribundisque vacavit et in catechumenis instituendis sum-mopere enixus est. Strenuo animi ardore in religiosis sacerdotibusque et christifidelibus laicis erudiendis viribus nihil pepercit, ut primas partes agerent in spirituali instaurazione Ecclesiae et societatis in India. Mense Februario anno M-DCCCLXVI una cum aliis in urbe vulgo Koonammavu Tertium Ordinem Carmelitarum Discalceatorum instituit, mulieribus Indicis sic ad vitam consecratam accedendi praebens facultatem.

Reverendus Pater Cyriacus etiam officium exercuit Vicarii Generalis Ecclesiae ritus syro-malabarensis, cuius unitati reconcilianda maxime cavit, sententiam quodammodo in seipso recapitulans il- lam: ~ sanctificatio suipsius et proximi salus ~. Praecursor quoque fuit institutio informationisque praeterea datae tradendae eximius. In tam variis etiam et multi iugis navitatibus Beatus tempus invenit, quo in litteris elaboraret, eiusque fuit consilium libros liturgicos ritus syro-malabarensis in codicem colligendi, orationes scilicet canonicas sacerdotibus pronuntandas, necnon calendarium appa- randi una et rubricas, sub voce Thuhkasa in lingua Syriaca nuncupatas, atque orationes pro defunctis. Monitiones eius ad familias christianas, quae sub titulo ~ Te- stamenti amantissimi patris ~ seu vulgo nempe ad sonitum rustici idiomatis

Oru Nalla Appante Chavarus eno-  
tantur, tamquam enchiridion familia-  
rum adhuc emicat praestantissimum.  
Oratio, taciturnitas, umbratilis conversa-  
tio austeritasque vitae, Verbi Dei audi-  
tione et Eucharistiae celebratione admo-  
dum suffulta, Reverendum Patrem Cha-  
vara verum contemplativum fecerunt si-  
mulque in fratrum sublevandas aerumnas  
et in necessitates spiritus et corporis susci-  
piendas iugiter promptum, ut revera ipse  
voce vulgo Kārmayogi seu vir divinam  
contemplationem et servitium proximi  
congerens posset vocari. Fā metam ae-  
vi sui per ventus, sodalibus ita prodidit:  
... tempus meum consummavi. Et cum  
Sanctae Familiae intercessione semper  
gavisus essem, gratiam per baptismum  
receptam numquam amisi. Sanctae Fa-  
miliae ergo parvam nostram Congrega-  
tionem et unumquemque vestrum addico.

Quae vero in cordibus vestris regnet ~.  
Sacramento infirmorum accepto, die IIII men-  
sis Januarii anno MDCCCLXXI, in Do-  
mino quievit et in civitate Koonamau  
corpus eius sepultum est. Exuviae dein-  
dē in civitatem vulgo Mannanam an-  
no MDCCCLXXXIX translatae sunt et  
intra moenia ecclesiae Sancti Joseph a-  
pud Domum Principem Congrégatio-  
nis tumulatae. Ob continuatam famam  
sanctitatis et signorum Excellentissimus  
Dominus Matthaeus Kavukatt, Ar-  
chiepiscopus Metropolita Changana-  
cherrensis, anno MCMVII Commissionem  
historicam constituit et in sequenti anno  
apud Eparchiam Processus Informativus  
celebratus est. Itinere canonico expleto, die  
VII mensis Aprilis anno MCMXXXIV De-  
cretum super virtutibus a Reverendo  
Patre Chavara more heroum exercitas  
promulgatum est. Beatificationis dein

respectu mira subiecta est asserta sana-  
tio, quam Medicorum Collegium Con-  
gregationis de Causis Sanctorum die  
VIII mensis Novembris anno MCMLXXXIV  
inexplicabilem secundum hodiernam  
scientiam medicam fuisse affirmavit. Die  
XXVIII mensis Februarii a. MCMLXXXV Con-  
gressus Peculiaris Consultorum Theologo-  
rum prosperocum exitu hanc sanationem  
Venerabilis Servi Dei Cyriaci Eliae Cha-  
vara intercessioni tribuit ac, die VII in se-  
quentis mensis Maii, Sessio Ordinaria  
Patrum Cardinalium et Episcoporum  
de miraculo divinitus patrato constare con-  
firmavit. Summus Pontifex Sanctus Joan-  
nes Paulus II Decretum super miraculo  
die VIII mensis Maii anno MCMLXXXV  
publici iuris fieri disposuit eumque die VIII  
mensis Februarii anno MCMLXXXVI, in  
celeberrima visitatione ad urbem vulgo  
Kottayam in Kerala patrata, sollempni

ritu, cui Ipse praeſuit, in numerum Bea-  
torum rettulit. Canonizationis respectu,  
nova exhibita est mira asserta sanatio,  
quae die XVI mensis Octobris anno MM-  
VII cecidit. Episcopus Eparchialis Pa-  
laiensis, Excellentissimus Dominus Jose-  
phus Kallarangatt, Inquisitionem Dioe-  
cesanam instruxit anno MMXI celebratam.  
Et Medicorum Collegium Congregatio-  
nis de Causis Sanctorum die XXVI men-  
sis Septembris anno MMXIII hanc sana-  
tionem inexplicabilem secundum hodier-  
nam scientiam medicam fuisse affirmavit,  
quam vero die X mensis Decembris eodem  
anno Congressus Peculiaris Consultorum  
Theologorum et die XVIII mensis Martii  
anno MMXIV Sessio Ordinaria Patrum  
Cardinalium et Episcoporum verum es-  
se miraculum intercessioni Beati Cyriaci  
Eliae a Sancta Familia Chavarā tribuen-  
dum censuerunt. Nosmet Ipsi concessi -

mus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die III mensis Aprilis eodem anno promulgaret atque in Concistorio diei XII insequentis mensis Junii statuimus, proinde, ut ritus Canonizationis die XXII mensis Novembris anno MMXIV, in sollemnitate Domini Nostri Iesu Christi Universorum Regis, perageretur. Hodie igitur in Foro ante Basilicam Papalem Sancti Petri in Urbe, infra Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: *Et hoc honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope suepius implorata, ac de plurimorum Fratrum nostrorum consilio, Bea-*

tos Joannem Antonium Tarina,  
Cyriacum Eliam a Sancta Famili-  
a Chavara, Ludovicum a Casau-  
rea, Nicolai a Longobardis, Eu-  
phrasiam a Sacro Corde et Etma-  
tum Ronconi Sanctos esse decerni-  
mus et designimus ac Sanctorum  
Catalogo adscribimus, statuentes  
eos in universa Ecclesia inter Sanc-  
tos pia devotione recoli debere. In  
 nomine Patris et Filii et Spiritus  
Sancti. Clarus ipse ductor fuit atque  
Ecclesiae societatisque instaurator, qui  
admodum in Ecclesiam in Kerala spiri-  
tualiter renovandam valuit ac summo-  
pere praecavit, ne communitas christifi-  
delium ad tentationem separationis pro-  
cumberet, tamquam verus pastor anima-  
rum ille, quem Deus, fidelium lumen, in  
Ecclesia posuit, ut oves suas verbo pasce-  
ret et informaret exemplo, cuius interces-

sione nobis detur et fidem servare, quam  
verbo docuit, et viam sequi, quam exem-  
pto monstravit. Quae autem his Litteris  
decrevimus, nunc et in posterum rata et  
firma esse volumus, contrariis quibusli-  
bet rebus minime obstantibus. Datum  
Romae, apud Sanctum Petrum, die  
XXIII mensis Novembris, anno Domini  
bismillesimo decimo quarto, Pontifica-  
tus Nostri secundo.



Ego Franciscus  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, prot. apost.